

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO ACADEMICA,  
DE

# COMITIIS ROMANORUM,

CUJUS  
PARTEM POSTERIOREM,

*Suffragante Ampliss. Facultate Philosoph. in  
Regia Academia Aboënsi,*

P R Æ S I D E,

## HENRICO HASSEL,

ELOQU. PROFESS. REG. & ORDIN.

h. t. RECT. MAGN.

*Publico examini subicit,*

PRO GRADU

JOHANNES BRAHELEN,

OSTROBOTNIENSIS.

Die III. April. Anni MDCCXLV.

*Loco Horisqve Solitis.*

ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg Ac. Typ

## ROMA STANS,

*C. Sallust, bell, Catil. 7, c.*

Virtus omnia domuerat: sed gloria maximum certamen inter ipsos erat.


## ROMA CADENS,

*Tacitus hist. 1, 1. c. 1.*

Nullis cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios.

*Annal. 1. II. c. 1.*

Si concio vocetur, illic quoque, quæ pauci incipient, reliqui adstrepunt.



§. I.

**E**Xpositis jam in parte priori curiatis & centuriatis Comitibus, *Tributa* etiamnum restant, quæ nobis, ut tertium Comitiorum genus ratione ordinis propositi, pertractanda veniunt. *Tributis* Comitibus a populo per tribus suffragia ferebantur, ut quod plures tribus statissent, id ratum haberetur. Nomen deduxerunt hæc comitia a *tribubus*, in quas primum Romulus populum divisit, unde etiam Tribuni dicti; quamquam nec desint, qui derivent a *tributo*, quod a populo in tribus diviso exigebatur. Vox autem *tribus* apud scriptores Latinos in triplici potissimum significato occurrit. I.º nimirum denotat *locum*, partem quandam urbis vel agri Romani. II.º *cives*,  
A hunc

hunc vel illum locum inhabitantes. Ill'o *jus*, quo incolæ isti gaudebant. Tribus initio tres tantum fuerunt, postea autem numerum earum in quatuor Tullius, in viginti & unam Servius auxerunt, & tandem triginta & quinque exsiterunt, qui numerus ad finem usque hujus reipublicæ permansit. Omnes hæcæ tribus in urbanas & rusticas distributas fuisse reperimus, quarum quatuor tantum erant urbanae, reliquæ vero omnes rusticae. Initio tribus nihil aliud fuit, quam pars aliqua urbis vel agri Romani, ut quot ejusmodi partes numerarentur, tot essent urbanae & rusticae tribus sine aliqua harum præ illis præstantiâ; verum postea, quum optimus & præstantissimus quisque in rusticis tribubus, quam urbanis, centeri mall'et, & tribus inde non urbis sed civitatis pars haberetur, factum est, ut rusticae tribus urbanis longe præferrentur. Hujus mutationis duæ potissimum causæ fuerunt, nimirum *rusticae vite commendatio* & *censoaria potestas*. Quod ad priorem attinet, in magno fuit honore apud Romanos vita rustica; ruri enim commoda sibi labore adquiri, urbe vero ea desidia labefieri putarunt.

Idque Varro de re rust. Praef. II. hisce verbis confirmat: Viri magni majores nostri non sine causa praeponabant rusticos Romanos urbanis: ut ruri enim, qui in villa vivunt, ignaviores, quam qui in agris versantur in aliquo opere faciendo; sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent desidiores putabant. De potestate autem Centuria Livius Libr. 8 ita refert. Ap-  
pius Claudius Censor humilibus, per omnes tribus divisis, forum & campum corruptit. Ex eo tempore in duas partes discessit civitas: aliud integer populus, fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat: donec, Q. Fabius & P. Decius Censores facti. Fabius simul concordiae causa, ne humiliorum in manu Comitum essent, omnem forensis turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit. Hinc apparet Centores potestatem habuisse novas condendi tribus, & ex una in aliam transferendi. Occasionem habendi haec Comitum factum Coriolani secundo anno post constitutos tribunos plebis, aut anno urbis cclxiii, praeiit, ut Plutarchus ostendit in vita Coriolani; nimirum, cum Coriolanus, qui a Tribunis plebis accusabatur

4  
quod in senatu summo contendisset studio,  
ne frumentum e Sicilia advectum, in-  
ter populum divideretur, in illa, quæ tum e-  
rat annonæ caritate. Et cum Tribuni plebis a-  
nimadvertissent, quod Coriolanus de pœna exi-  
meretur; quia multum valuit apud optimates,  
penes quos summa potestas Centuriatis fuit, ex-  
optarunt convocationem populi per tribus, ut  
æque pauperiorum ac Ditiorem suffragia polle-  
rent. Atque hoc etiam pervicerunt.

§. II.

**D**Einde varias ob causas habita sunt Conitia  
tributa, & quidem præcipue ob has quatuor  
generales, quarum *prima* erat ad creandos omnes  
minores Magistratus; *altera*, ad deligendos sacer-  
dotes Collegiorum; *tertia*, ad ferendas leges;  
*quarta*, ad exercenda judicia. Magistratus isti mi-  
nores vel erant *urbani* vel *provinciales*, & *utriq;* par-  
tim *ordinarii* & partim *extraordinarii*. Qui hinc  
Comitiis singulis annis ad perfunctionem  
muneris ordinarii in urbe a populo lege-  
bantur, fuerunt *Tribuni plebis*, *Ædiles plebis*,  
*Ædiles curules*, *Triumviri capitales*, *nocturni*,  
*monetales*; *Extraordinarii* vero, *Præfecti an-*

5  
nonæ, duumviri navales, questores parricidii, curatores viarum quinqueviri muris & turribus reficiendis, & quinqueviri ac triumviri mensarii. Hi omnes non annuam habebant potestatem, sed tamdiu imperium retinebant, quamdiu hæc vel illa curatio id requirebat. Sed Provinciales ordinarii Magistratus erant Proconsules, Propratores & Pro Questores, qui in provincias interdum ordinariè a senatu mittebantur, interdum etiam ad mandatum populi præter arbitrium senatus; idque inprimis eveniebat, si extra ordinem alicui provincia daretur. Quod imperium quisque temporibus postremis obtinebat, dum ejus successor abfuit, cujus meminit Gruchius Lib. 2. *Nec singulis inquit annis ferendum erat ad populum de prorogando imperio, sicut prioribus fieri solebat: sed semel obtentum imperium eo usque retinebatur dum successus mitteretur.* Provinciales vero extraordinarii erant Triumviri, quinqueviri decemviri & viginti viri, quibus data fuit extra urbem curatio imperiumque ad ad colonias deducendas. Comitibus tributis solus Pontifex Maximus ante legem Domitiam creabatur, quod perspicuum est ex verbis Ciceronis in Rullum, cum dicit, *Cn. Domitii*

initium sua lege effecisse, ut quod ante in Ponti-  
 fice Maximo fiebat, idem in certis sacerdotibus  
 fieret. Post haec vero legem, qua jus sacerdos  
 tes creandi a Collegiis ad populum transit, *Pontifices* etiam *Augures*, *Feciales*, *septemviri*  
*epulonum* & *quindecimviri* sacris faciun-  
 dis, iis fuerunt creati. Præterea hiis comi-  
 tiis ferebantur leges, plebescita dictæ, quas ple-  
 bejio Magistratu rogante populus iussit: nimi-  
 rum de Triumpho habendo, de civitate danda,  
 de liberatione, qua quis hac vel ista lege sol-  
 vebatur, de publicis quaestionibus constituendis,  
 & maxime de pace sancienda & induciis paci-  
 scendis. Hic etiam exercebantur judicia  
 non tamen capitis, verum ubi quis pec-  
 unia erat mulcandus. Qua de re etiam verba  
 Gruchii ita sonant: *Repetendum est, quod supra*  
*diximus, judicia capitis, quæ fiebant per populum,*  
*Cent. Comitibus fieri debuisse. At si Magistra-*  
*tus aliquis faceret aliquem rem ad populum,*  
*nec capitis eum arceseret, sed mulctam indiceret,*  
*tum vero Tributis comitiis id iudicium fieri*  
*solebat.*

§ III.

**D**E personis; quæ his Comitibus intervenie-  
 bant,



7  
bant cum agimus, primum observandum est,  
hæc Comitia habita fuisse in creandis Magistratibus, illisque minoribus ordinariis, vel a Dictatore vel a Consule vel a Tribuno militum, consulari potestate. In surrogandis autem Tribunis & Aedilibus plebis a Tribunis plebis. Et in creandis sacerdotibus a Consule tantum; sed in judiciis exercendis, legibusque ferendis, a Consulibus, Prætoribus vel Tribunis plebis, quibus etiam id juris erat, quum constituendi essent extraordinarii Magistratus. Deinde quod ad eos attinet, qui in illis ferebant suffragia, invenimus, hos fuisse omnes cives, quibus pleno cum jure civitatis, tribus data erat, in qua suffragium ferrent. Fuerunt itaque non solum cives Romani in urbe habitantes, sed extra eam etiam vel in Italia, vel in Regionibus circumjacentibus, in municipiis vel coloniis versantes. Quamquam interdum ejusmodi colonie, præfecturæ aut fœderatæ civitates jure suffragii non gaudebant, nonnulli tamen earum cives, hoc jus obtinebant, idque vel ex singulari indulgentia Magistratum vel per legem aliquam. Cujus exemplum advertit Livius Libr. 41. LXX, inquit, for-

ciis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese do-  
 mi relinquerent, dabat, ut cives Rom. fierent,  
 qui in latinis Colonis Magistratum gessissent,  
 vel etiam hac ratione, qua per legem Servitiam  
 Latinis jus erat civitatem assequendi in locum ejus,  
 quem accusando damnasset repetundarum. Non-  
 nihil quoque de illis dicendum est, quorum  
 ratio huic Comitiis haberi potuit. Candidati  
 Magistratum in Tribunitiis & Aedilitiis Comitiis  
 omnes debebant esse plebei. Nemini enim pa-  
 triciorum eum Magistratum gerere licuit.  
 Sic Liv. Libr. 4 scribit, *Multum providisse,*  
*qui caverint, ne cui patricio plebei Magistratus*  
*paterent.* Unde etiam posteriori tempore Patri-  
 cii aliquando se plebeis adoptandos dederunt,  
 ut Magistratus huic & quidem praesertim Tri-  
 bunatum plebis adipiscerentur; quo stratagemate  
 utebatur Clodius ut opprimeret Ciceronem.  
 Sed Candidati quæsturæ tam patricii quam ple-  
 beii esse poterant. Post legem annalem id jux-  
 ta erat observandum, ut annos haberent Can-  
 didati lege ista definitos. Certa etiam stipen-  
 dia meruisse oportebat, antequam hunc vel  
 illum Magistratum ambire liceret. Sic de Can-  
 di-

didatis tribunatus militaris constat, si equites essent, ut decem stipendia, si pedites, sex vel minimum quinque haberent. Sacerdotum pars dividua ex Patriciis, altera ex plebejis esse debebat. Fuit etiam legibus vetitum, ne duo ex una gente in eodem collegio essent sacerdotes. Nec legibus observata fuit ætas petendi sacerdotia, sicut in petendis Magistratibus. De Julio Cæsare Svetonius refert, cum septimo & decimo ætatis anno factum fuisse flaminem Dialem. Cicero epistola ad Brutum scribit se velle, ut filius in Collegium Pontificum coopretetur, quia ex Computatione Gruchii annos XXI. natus esset; consentaneum est, eos non ad sacerdotia pervenire potuisse ante annum decimum septimum, quo togam virilem sumebant Romani. Postremo Candidatos pontificatus maximi oportebat esse ex pontificibus; non licuit enim ex aliis, quam illis Pontificem creare Maximum. De reliquo, cum his Comitibus nulla haberetur ratio census, ordinis & ætatis, & ea semper peragerentur ab humilibus, quorum multitudo longe superior numero fuit, factum est, ut primores civitatis raro illis adessent,

quum præsentibus, nihil possent contra vulgus. Locus horum Comitiorum habendorum si magistratus crearentur, interdum fuit *Campus Martius*, interdum *Comitium*. Nonnunquam, si leges ferrentur, judiciaque exercerentur *Forum* & *Capitolium*, & aliquando præta *Flaminia* ad flumen; certus enim locus illis non erat destinatus. Eodem quoque tempore habebantur *Comitia Tributa*, quo reliqua. Non enim licuit nisi diebus comitialibus haberi, si casus peculiaris intervenisset.

## §. IV.

**S**ic, ut de modo horum Comitiorum agamus, sequitur. Præteribimus autem ea, quæ cum aliis comitiis habebant communia. Hoc autem illis peculiare fuit, ut inconsulto senatu, nullisque adhibitis auspiciis peragerentur. Huc spectant sequentia *Dion Halicarn. Libro X.:* *Hæc sunt verba patriciorum ad Tribunos plebis. Neque enim vos senatus auctoritas ad Magistratum vocat, nec curia de vobis suffragium dicunt, nec sacra facitis ante Comitia, quæ lege fieri oportebat, nec omnino quicquam quod ad religionem Deorum pertineat. Hoc nihilo minus*

cau.

cautum erat, ne agerentur, quo die servatum esset de coelo. Observatio enim de coelo, cum ad omnia pertineret comitia, ad hocce genus etiam spectabat, ea tamen cum exceptione, quod plebei Magistratus ne illa quidem auspicia haberent. Et cum reservasset Romulus circa comitia omnis generis, ea Jove fulgente aut tonante non haberi posse, consequens erat, ut hisce Comitibus etiam obnunciationi esset parendum, nisi temporis necessitas exigeret, ut senatus ad legem aliquam constituendam nullum admitteret impedimentum. Sic intelligimus, quid sit, quod non raro minores Magistratus vitio creati dicerentur, nimirum eo die, quo creati fuerunt, fulgurasse & tonuisse. Per sortem his Comitibus eligebatur tribuum prerogativa. Præterea id hic erat diversum a centuriatis, quod in illis prerogativa per sortem ducta, reliquæ tribus ratione census, ordinis ac ætatis sequerentur. In Tribuitis autem sortilegium in usu erat, usque dum omnes vocatæ essent ad suffragia ferenda.

Adfuerunt etiam, præter Rogatorem, a quo habebantur Comitibus, certi homines, qui

viderent, ne vel in diribendis tabellis, vel colligendis suffragiis quid fraudis committeretur; qui ideo custodes nominabantur, & hoc munere vel amicitiae causa, vel ut pro Magistratu suo se interponerent, fungebantur. De ordine quoque in ferendis suffragiis verba tantum Dionysii observanda sunt, quae Libr. xxxviii. annotavit de Q. Fusio Caleno Praetore eo anno, quo Caesar Consul primum fuit; verba ejus haec sunt: *Cum animadvertisset Q. Fusius Calenus confundi omnium simul suffragia, atque inde fieri, ut de suffragiorum eventu singula genera ita inter se contenderent, ut quod recte statutum esset, id suo suffragio factum dicerent: quod vero male, in alios suffragiorum absurditatem rejicerent; legem Praetor tulit, ut seorsim singuli suffragium dicerent, quo tandem dignosci possent sententiae, non singulorum quidem hominum (quod occulte semper fiebat) sed certe singulorum generum.* Unde cognoscimus ante hanc legem etiam fuisse quasdam distinctiones & quoddam singulis tribubus discrimen generum & ordinum.

Quod reliquum est pari modo, quo centuriata, haec Comitia peracta fuerunt.

## §. V.

**H**Adenus de tribus Comitiorum generibus, breviter diximus, nunc ratio ordinis exigit, ut *Commoda* etiam, quæ inde ad *Rempublicam* redundarunt, attingamus. Comitiiis autem quilibet, non divites tantum ac potentiores, verum etiam pauperes ac tenuiores jura sua asserere, & integra ac illibata servare potuerunt. Omnes negotiorum publicorum administrationem aliquo modo participabant. Magistratum creatio, pax, bellum, leges, judicia in potestate populi erant. Hinc factum, ut non solum jus connubiorum, sed Magistratum quoque, & quidem superiorum Plebi cum Patriciis fieret commune. Et quamvis Comitiiis Centuriatis plurimum valerent, quibus major erat census, neque tamen ab illis pauperes excludebantur. Atque in compensationem hujus inæqualitatis, comitiis tributis infima plebs præpollebat. Sic plebeji sat valido muniti erant præsidio, ne ab optimatibus opprimerentur; & injurias alteri inferre cuilibet erat valde periculosum, cum aditus ad Comitiiis omnibus pateret, ubi se ipsum quisque

con-

contra malitiam alterius tueri valeret. Qui ve-  
 ro modum civilem excedere, potestati iusto ma-  
 jori imminere & viam ad tyrannidem sibi pate-  
 facere conabantur, his maxima opposita erant  
 obstacula; quum ejuscemodi ausus conventu po-  
 puli detegi possent & castigari, cunctique a-  
 cri libertatis vindicandæ studio concitati, tali ob-  
 veniente calu, ut in causa communi omnem  
 explicarent severitatem. Sic plura per secula in-  
 columis mansit civitatis libertas, licet variis identi-  
 dem insidiis ausibusq; tentaretur. Fulciebatur hic  
 status reipublicæ, antiquis præsertim temporibus,  
 frugalitate, continentia, labore. Accedebant peri-  
 cula externa, quæ nutantem sæpe domi concor-  
 diam erigebant. Verum, quum in eam magnitu-  
 dinem excrevisset imperium, ut nulli amplius es-  
 sent, quos timerent Romani, desidia, lu-  
 xus, avaritia, ambitio, & quæ ex hisce ra-  
 dicibus enasci solent mala, catervatim ingru-  
 ebant, atque ipsis etiam Comitibus ita se inge-  
 rebant, ut novum omnino genium induerent  
 plurimisque quam antea, facta fuerint abnoxia  
 vitiis & incommodis, de quibus jam modo  
 dabitur agendi occasio,



## §. VI.

**Q**uemadmodum nihil in rebus humanis adeo est perfectum, ut omne excludat incommodum, ita idem de Comitibus Romanis, sapientissime quamvis institutis, affirmare licebit. Nullum est dubium, quin ejusmodi conventus universi populi non paucis magno fuerit oneri, atque sumtui haud exiguo. Iter multorum dierum, impendia vitæ in urbe, absentis a domo & re familiari, quantum iis incommodi attulerint, qui extra Romam præsertim in remotioribus inde locis habitaverunt, non opus est multis explicemus. Quamquam finis & scopus Comitiorum sine dubio fuit omnium salus, ipsa tamen experientia docuit varia iis adhæsisse incommoda. Cum de omnibus præpropere suffragia essent ferenda, omniaque iisdem decernerentur, non potuit fieri, quin vulgus mutabile in omnes partes, & idem simul ignarum ac tanti ponderis negotiis impar, neque semper valuerit rerum genuinam perspicere veritatem, ne dum ex iusto & æquo quaestiones propositas dirimere, præsertim, quæ donariis, ambitione, præsentatio

tione, orationibus ad decipiendam compositis,  
 & variis aliis artibus tenebræ offunderentur.  
 Rem acu tetigit Plutarchus in hunc modum  
 scribens: *Ut quisque nobilissimus erat & ani-*  
*mosissimus, ita opes in spectacula, viscerationes,*  
*largitiones Magistratum asequendorum causa,*  
*& insanas substructiones profuderat. Pecunia ad*  
*homines deflaxerat ignavos & humiles, ut par-*  
*vo momento quivis, cui foret animus, valeret*  
*Rempublicam per se egram versare. Proinde*  
*non mirum est, multa injuste facta fuisse, eos*  
*muneribus præfectos summis, qui gratiam po-*  
*populi quocunque modo aucupari potuerunt; a-*  
*lios etiam præteritos, vel quod ab his artibus*  
*essent imparati, aut eas exercere nollent, vel*  
*quia eorum severitas populo formidabilis vide-*  
*batur. Quid? quod viri dotibus & meritis in-*  
*signes ad artes illicitas aliquando confugere*  
*compellerentur. De Pompejo sic refert Plu-*  
*tarchus in ejus vita: Ita explosus & jactatus*  
*Pompejus, necesse habuit, ad tribunos plebis*  
*confugere atque applicare se ad adulescentulos,*  
*quorum pestilentissimus & audacissimus eum*  
*Clodius recepit & obnoxium reddidit populo. Ex*

occasione verborum jam adductorum, quibus mentio  
 fit Tribunorum plebis, de illis nonnulla inferemus:  
 Inde a primis reipublicæ initiis inter optimates &  
 plebem variæ erant dissensiones, quæ magis  
 magisque auctæ tandem in seditionem eru-  
 perunt, quum plebs ad Æquorum bellumeducta,  
 ob sceleratorum impotentiam, relictis consulibus,  
 trans Ancienem amnem in montem sacrum seces-  
 sit, nec ante placari potuit, quam lenatus ei per  
 decem legatos promisit, jus ipsi fore, Magistratum  
 e suo corpore contra Patriciorum potentiam crea-  
 re. Constituebantur itaque primum duo, deinde  
 quinque & mox decem tribuni plebis, quorum of-  
 ficium erat auxiliari plebi ne Patricii adversus eam  
 insolentius agerent. Atque ut hæc partes explere  
 possent, tacti sunt, sacrosancti & inviolabiles, h. e.  
 vel vi vel verbis eos violare capitale erat. Qua po-  
 testate non tam ad agendum quam impediendum  
 destinata majorem in modum abutebantur, Quum  
 enim nemo illis resistere auderet, enormia sibi jura  
 arrogabant, plurimumque turbarum auctores exstite-  
 runt. Hinc scribit Cicero libr. III. de legibus: *Tri-  
 bunorum potestas mihi pestifera videtur, quippe quæ in sedi-  
 tione & ad seditionem nata sit, cujus primum ortum, si  
 recordari volumus, inter arma civium & occupatis & ob-  
 sessis urbis locis, procreatum videmus.* Atque eadem hæc  
 Tribunitia potestas comitiis tanquam in proprio  
 campo decertans gravissimos excitavit motus. Sem-  
 per enim suppetebant occasiones plebem cum opti-

tibus committendi, stimulantibus ad strenue audien-  
 dum vel avaritia, vel ambitione, vel odio & cupi-  
 dine vindictæ. Accedebant alia mala. Opibus præ-  
 diti & potentes sæpe inter se acriter dissenserunt,  
 quam ob rem nihil usitatus fuit, quam ut iidem ino-  
 pi plebi ac multitudini blandirentur, eamque vel  
 pecunia vel aliis præmiis & promissis cor-  
 rumperent. Atque ubi negotium aliquod ex  
 sententia ipsorum dispensari non potuit, repugnantes  
 calumniabantur, eosdemq; modo insidiis, modo a-  
 perta vi adgrediebantur. Inde in populo magna  
 dissensio & plurimæ exstiterunt concertationes,  
 quum alii his, alii illis magnatibus faverent. Tan-  
 dem Cæsar infinitis artibus & immensa præcipue  
 largitione effecit, ut comitia in sua essent potestate.  
 Hinc imperium ipsi legitimum ultra tempus  
 iterum iterumque prorogabatur. *Descendebat in cam-  
 pum, ut refert Plutarchus, mercenarius populus, non  
 suffragiis pro præbitoribus, sed telis, gladiis, fundis decertans.*  
 Deinde post victum Pompejum, populo comi-  
 tiisque neglectis, Monarchicum exercuit imperium.  
 Cæsare autem interfecto, post multas civitatis tur-  
 bas variasque partium clades monarchiam, cujus  
 a Cæsare jacta fuerant fundamenta, stabilivit Augu-  
 stus atque ad successores transmisit. Exinde mane-  
 bant quidem Comitia, sed specie tantum, quum  
 omnia illis ex Principum arbitrio agerentur.

S. D. G.

